Dicitur: Memento quod sicut lutum fecisti me et
in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mul-
sisti me et sicut caseum me coagulasti. Pel-
le et carne vestisti me, ossibus et nervis con-
pegisti me. Vitam et misericordiam tribuisti michi et
visitacio tua custodivit spiritum meum.
Non est ergo membrum, non est nervus, non est vena,
non est capillus, non est ungula in homine que
non clamet homini quod multum debet patrem celes-
tem diligere, quia sine ipso ut dicitur in euangelio
Mathei ipse non potest capillum album facere
aut nigrum, nec potest ad staturam suam ad-
dere cubitum unum. Et ideo iste pater est
honorandus et timendus. Honorandus sicut
pater qui omnia dedit, et timendus sicut dominus
qui omnia auferre potest quando sibi placuerit.
Et hoc est quod ipse dicit per Malachiam prophetam:
Filius honorat patrem suum et servus
timet dominum suum. Si ergo pater ego sum,
ubi est honor meus? et si dominus ego sum,
ubi est timor meus? Et vere non est mirum
si conqueritur, quia ipse habet multos pravos
filios qui nec ipsum honorant nec timent,
sed ipsum cotidie suis malis factis inhono-
rant et conspuunt et servicium eius propter
servicium sui adversarii et sui proditoris,
id est dyaboli, repudiant. Propter quod de
talibus ~~de talibus~~ filiis perversis et dege-
neribus et ingratis conqueritur pater celestis
per os Moysi dicens: Generacio prava atque
perversa, hec ne reddis domino populus stulte
et insipiens? Numquid non ipse est pater tuus
qui possedit te et fecit et creavit te? Et
sequitur: Deum qui te genuit dereliquisti et ob-
litus es domini creatoris tui. Ecce magna
ingratitudo derelinquere ~~creatorem~~ sed et
oblivisci creatorem suum. Genuit te deus
quia et patrem generantem et matrem
concipientem tibi preparavit. Genuit quia
corpus tuum conditum humani seminis in ven-
tre formavit. Genuit quia formato corpori
animam vivificantem infudit. Genuit
quia de ergastulo materni ventris in ortu
tuo vivum te produxit. Hunc ergo genito-
rem dereliquisti et oblitus es domini creatoris
tui. Sed queris quomodo dereliqui? Respondeo

oblitus sum? Respondeo: Deus est veritas et
misericordia et sapientia. Quod autem sit veritas testatur ipse met
qui in euangelio Iohannis dicit: Ego sum via et veritas et
vita. Quod sit misericordia testatur David qui dicit: Deus
meus misericordia mea. Et Iob in persona Christi: Ab
infancia crevit mecum miseracio et
de utero matris mee egressa est mecum.
Quod autem sit sapientia testatur apostolus qui dicit:
Christum dei virtutem et dei sapientiam.
Cum ergo relinquit et obliviscitur ~~misericordiam et
caritatem~~ veritatem propter mendacium, qui relinquit
et obliviscitur misericordiam et caritatem et opera pieta-
tis propter duriciam cordis sui vel propter
rancorem et odium, qui relinquit et oblivis-
citur sapientiam dei propter sapientiam mundi
que stulticia est apud deum, que sapientia con-
sistit in acquisicione rerum terrenarum et
honorum transeuncium sive delectacionum cor-
poralium, profecto talis relinquit et oblivis-
citur deum. Et vere iste contemptus et ista ob-
livio regnat hodie in toto mundo. Propter
quod comminatur nobis nobis dominus per Osee pro-
phetam dicens: Audite verbum domini filii
Israel, quia iudicium domino cum habitatoribus terre.
Non est enim veritas et non est misericordia et non est
sciencia dei in terra. Maledictum et mendacium
et homicidium et furtum et adulterium in-
undaverunt et sanguis sanguinem tetigit,
id est peccatum peccato unum statim tenetur ad aliud.
Et nota quod dicit inundaverunt gallice [illegible]
riue, id est ad modum fluminis inundantis
quod currit contra ripas suas per totum mun-
dum se diffuderunt. Hec sunt mala opera
nostra quibus nos sicut mali et degeneres
filii conspuimus et contempnimus et derelinquimus
et oblivisimur patrem nostrum celestem, qui ideo
creavit nos ut eum diligeremus et ei ser-
viremus et ab offensa eius caveremus,
ut sic participes sue beatitudinis effici
mereremur. Sed ipse bene potest de nobis ~~[illegible]~~ di-
cere illud psalmi: Oblivioni datus sum
tamquam mortuus a corde. Et nos bene pos-
sumus dicere illud psalmi: Si obliti sumus
nomen dei nostri et si expandimus manus
nostras ad deum alienum, nonne deus

License: public_domain – Antwerpen, Erfgoedbibliotheek Hendrik Conscience, B 28712:4, fol. 2v – Remigius Florentinus, <i>Tractatus de misericordia</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-g107/9386/69202)